
DISPVTATIO
DE
PRAESCRIPTIONE CENTVM ANNORVM IN ACTIONIBVS ECCLESIAE ROM. DE IVRE CIV.

AVCTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
VT ADITVM
AD
SVMMOS VTRIVSQVE IVRIS HONORES
APERIRET
DISCEPTATIONI ERVDITORVM PVBL.
D. XXIV. SEPT. CIↃ IↃ CCL.
PROPOSITA
A

IOANNE AVGVSTO BACHIO
A. M. ET I. V. CAND.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.









Diu multumque fuit inter ICtos, magna varietate, disceptatum hoc, num Ecclesia Romana adhuc beneficio vti possit eo, quod Iustinianus, Sacratissimus Imperator, concessit, vt rerum, iuriumue, quae habuisset, centum annos esset auctoritas. In quo quidem AVGVSTINOS, GOTHOFREDOS, GIFANIOS, RITTERSHVSIOS, aliosque ICtos doctissimos plerosque, si non omnes, in eam video propendere sententiam, vt hoc beneficium ab ipso auctore ereptum ei statuant esse. Neque vero is sum, qui negem, Viros illos multum rationis atque auctoritatis adferre: in quibus etiam est is, quem omnes, in arte legitima, summum Virum, quem quidem posterior tulerit aetas, confitentur, IACOBVS CVIACIVS [a]), qui ipsa propemodum auctoritate me frangit sua: Sed tamen existimo, non satis neque diligenter, neque acute in ista disputatione a Viris Eruditis actum esse. Mihi quidem diuersa sententia sedet, Romanamque Ecclesiam etiam nunc Iustinianeo beneficio, iure suo, vti posse, doceri posse arbitror. Est hoc perpetuum crimen Ecclesiae Romanae, quod, eam sibi arrogare iura, quae non

 accepe-

a) Obs. V, 5. et Opp. quae viuus de Iure fecit, libro de diuersis temporum praescriptionibus C. XXXI. p. 783.

acceperit, aiunt; neque profecto quidem illud omnino falsum. Constat enim, quomodo, ad tuendam Romani agri, aliarumque regionum Italiae iniustam possessionem, auctores Ecclesiae Romanae ac defensores nunc Donationem Constantini Magni protulerint, explosam iam dudum satis et irrisam a Laur. Valla, nunc Donationes Caroli M. eiusque filii Ludouici Pii ediderint; denique etiam Ottonis M. litteras siue exhibuerint, siue confinxerint: et multa alia eiusmodi beneficia, lege quadam Caesarea sibi concessa, iactauerint. Itaque facile fuit fidem hominibus facere, etiam Ecclesiam Romanam, illud priuilegium, a Iustiniano iam statim abrogatum, iniuria vsurpare. Inde dudum a Viris doctissimis Ecclesia Romana de possessione huius Iustinianei beneficii, per vim et iniuriam, deiecta est: quam nos quidem interdicto, aut ex iure manum consertum, iustis vindiciis in sua possessione reponemus. Neque existimamus fore, vt aduersarii nobiscum iusto sacramento contendere audeant, aut diuturni temporis exceptione vtantur, cum veritatis omnino sit aeterna auctoritas.

§. I.

Finitio Praescriptionis Centum annorum, et Ecclesiae Romanae.

Est igitur propositum nobis hoc, vt Ecclesiae Romanae, ex Iure Ciuili, (Nam de Iure Canonico, id sine omni controuersia obtinet, in eoque omnes consentiunt,) e Ciuili igitur Iure beneficium praescriptionis Centenariae adferamus. Iam primum, etsi initia omnis disputationis, ne erret aut vagetur, vinculis legitimae definitionis adstringenda sunt; tamen vix opus esse videtur, definitionem Praescriptionis Centenariae tradere. Quis enim est, quin sciat, *praescriptionem omnem nihil aliud esse, nisi exceptionem, qua repellatur is, qui, praeterlapso aliquo tempore, rem iusue aliquod, velut suum, vindicet*, adeoque Centum annorum praescriptionem Ecclesiae Romanae in eo sitam, vt, Ecclesiam Romanam lege agentem, vel ius suum prosequentem, nemo temporis praeterlapsi exceptione possit excludere, nisi Centum annorum spatio praeterito. Ea autem locum habet tantum in iis caussis,

in quibus

in quibus alioqui triginta annorum praescriptio obtinet. v. NOV. CXI. et AVTH. *Quas actiones C. de SS. Eccles.* Ad ceteras causas, quibus alia praescriptio constituta est, non pertinet. Si quis autem quaerat, quam late pateat Ecclesia Romana ex sententia Iustiniani, is legat mihi NOVELLAM IX. Iustiniani, in qua id expressum reperiet, omnem Ecclesiam Occidentalem dici Ecclesiae Romanae nomine, a capite totius Ecclesiae Roma. Dicit enim Imperator IVSTINIANVS: *Habeat igitur sanctitas tua hanc legem catholicis totius occidentis ecclesiis profuturam, et in orientales partes propagandam, in quibus aliquid Sacrosanctae Ecclesiae possident.* Et ab initio dicit, *in vniuersas ecclesias catholicas, quae vsque ad Oceanum fretum positae sunt, saluberrimae legis vigor extendatur.* In quibus definitionibus, si tamquam formula cecidisse videbor, subtilitatis neglectu; me, sicuti Romanos in lege agendo, si formula cecidissent, Praetor restituebat, sic aequitas Lectoris in integrum restituet.

§. II.

Vnde ducatur haec omnis disputatio.

Hoc quasi lumine disputationi nostrae accenso, eo facilius nunc ad interiora penetrare nos posse arbitramur. Cum vero omnis de Iure Ciuili disputatio definienda sit ex legibus; idem in hac proposita quaestione tum ii fecerunt, quorum sententiam nos frangere, in animo habemus, tum idem et nos ipsi faciendum nobis esse iudicamus. In quo quidem contra aduersarios ita pugnabimus, vt, ex qua ipsi pharetra depromserunt tela, ex eadem et nos, sed diuersa, sed contraria, sumamus. Est autem fundus totius quaestionis nostrae in L. XXIII. *C. de Sacrof. Eccl.* et in NOV. IX. CXI. CXXXI. *c. 6.* Atque in hoc etiam consentiunt ii, qui nostrae sententiae aduersantur. In NOVELLA IX. quidem hoc beneficium Ecclesiae Romanae nominatim concessum reperimus. Quid igitur? Num res confecta est, aut causa perorata? Minime vero. Namque occurrunt nobis, qui iactent, hanc legem posterioribus constitutionibus sublatam. Itaque agendum hoc nobis erit, vt hanc sententiam rationibus refellamus. Ante vero quam id ingrediamur facere, quoniam in occasione

legis XXIII. C. *de SS. Eccl.* quaedam quaſi ſemina defenſionis noſtrae latent, eam, auctoribus PROCOPIO [b]) ac SVIDA [c]) anteferendam ducimus; inprimis cum id ad interpretationem maximam vim habere ſoleat, noſſe occaſionem et cauſam legum, in eoque adprobando, exemplo ſummorum in noſtra diſciplina Virorum, CVIACII, GOTHOFREDORVM, GIFANII, SCHVLTINGII, NOODTII, aliorumque, vti posſimus: Qui cum omnem Iurisprudentiam plane hiſtoricam, vti eſt, quicquid imperiti dicant, ita eſſe exiſtimarent; ante omnia Legum, Iurisque hiſtoriam tractando, ſumma in interpretatione adiumenta repererunt.

§. III.

Hiſtoria et occaſio Legis XXIII. Cod. de Sac. Sanct. eccl.

Annus erat XXX. aut XL. ex quo Eccleſia Emeſena Mamiani cuiusdam in illa ciuitate principis heres extiterat *). Haec hereditas erat quidem iam ipſa lauta; tamen oeconomi Eccleſiae hoc lucro aduentitio contenti non erant, ſed, vti ſemper propemodum quoquomodo augendarum opum cupidiſſima natio fuit, hi homines rem, cum legitimo modo non poſſent, fraudibus non dubitant ingredi. Erat tum ibi Priſcus quidam, compoſitus homo ad fallendum, qui chirographa aliena optime imitari poſſet. Hunc hominem ſibi comparant, qui inſtrumenta tabellionis cuiusdam, qui vixerat ſuperſtite adhuc Mamiano, confingeret, in quibus eſſet ſcriptum, ingentes pecunias, a multis ciuitatis principibus, Mamiano deberi, atque adeo Eccleſiae, iure hereditario. Obſtabat tamen petitioni praeſcriptio tricennii. Itaque fraudes fraudibus cumulantes, pecuniis atque iacturis Imperatorem Iuſtinianum expugnant, dataque ei, vel Quaeſtoribus palatii, grandi ſumma, hanc legem extorquent, ne poſtea

b) Ανεκδοτ. p. 123.
c) v. Πρίσκος Εμεσηνός.
*) v. Procop. et Suid. loc. cit.

postea alia Ecclesiae nisi centum annorum praescriptione repelli possent. Quod factum est a Iustiniano primum in Orientalibus Ecclesiis per *L. XXIII. C. de SS. Eccl.* deinde per NOV. IX. in Romana, seu Occidentalibus. Sed postea, intellecta fraude, legem in Orientalibus prouinciis abrogauit per NOV. CXI. et CXXXI. eandem praescriptionem Ecclesiae Romanae reliquit, vti postea videbimus.

§. IV.

Confirmatur auctoritas Procopii.

Iam vero quoniam intelligo multos esse, qui hanc Procopii narrationem non esse fide dignam dicant, inprimis cum ex libro Anecdotorum proferatur; etiam necesse est hanc minuere opinionem, et auctoritatem Procopii paucis stabilire. Omnino ei PROCOPII libro, qui inscribitur Ἀνέκδοτα, quem primus in lucem protulit ALEMANNVS, Vaticanae bibliothecae praefectus, a Viris Eruditissimis propemodum omnis fides abrogatur, propterea quod tradit multa Iustiniani Imperatoris, Theodoraeque crimina ac scelera. Existimant enim, si ista scelera vera essent, indignum fore, tam scelesti hominis legibus tantum apud nos auctoritatis tribui. In quo illi similes videntur Imperatori Macrino, qui in animo habuisse dicitur omnia rescripta abolere, nefas esse, iactans, leges videri Commodi Caracallae aliorumque impurorum hominum voluntates. Quasi vero repugnet, principem improbum bonas etiam Leges scribere posse. Nonne etiam Iustinianus ipse Tiberii, Claudii, Neronis, Commodi Caracallae, Iuliani Apostatae, aliorumque similium improborum principum bonas Leges et rescripta in Corpus Iuris referri passus est? Quibus autem aduersus Procopium vtuntur argumentis, et rationibus, ea non sunt tanta, ut testimonia, et argumenta, quibus Alemannus vsus est ad fidem Procopii stabiliendam, confirmandamque, conuellere aut labefactare possint. Neque ipse Eichelius, Procopii princeps aduersarius, par est eiusdem defensori Alemanno. Sed vt ad hanc ipsam de auaritia et pecuniae cupiditate Iustiniani, narrationem Procopii veniamus: PETRVS LVDOVICVS [d]) V. D. hanc

d) Vita Iustiniani p. 239. not. 192.

hanc totam fabellam nominat. Quis crederet, inquit, Iustinianum vnius lucelli causa conuersurum leges in vniuerso orbe? Fuerit ille auarus non certe erga Ecclesias, quibus largitus est manu tam larga per omnem vitam. Quis crederet, inquam, nisi res ipsa loqueretur, nisi tot testimonia declararent? Quis neget Iustinianum fuisse auarum, si etiam huius criminis coarguunt testes eiusmodi, quos tamen non infensos fuisse Iustiniano concedant? EVAGRIVS quidem SCHOLASTICVS [e]) ait: O Ἰουστινιανὸς μὲν ἦν χρημάτων ἄπληστος, καὶ τῶν ἀλλοτρίων οὕτως ἐκτόπως ἐραστὴς, ὡς καὶ τὸ ὑπήκοον ἅπαν χρυσίου πιπράσκειν τοῖς τε τὰς ἀρχὰς ἐπιτροπεύουσι, τοῖς τε τοὺς φόρους ἐκλέγουσι καὶ τοῖς ὅσοι ἀπ' οὐδεμίας αἰτίας ῥάπτειν ἐπιβολὰς τοῖς ἀνθρώποις ἐθέλουσι etc. Cum igitur satis vel hoc vno, ne plura adferamus, clare docuerimus, Iustinianum in administrando imperio largitiones non contemsisse; quid est, cur Procopio auctori non credamus, cum hominibus multas ipsi largitiones facientibus hoc tribuisse, vt beneficium Centum annorum Ecclesiis concederet; praesertim cum ipse talem fraudem subesse nesciret? Neque vero, si Iustinianus non fuit: non potuit Quaestor Tribonianus corruptus fuisse. Quis enim est, quin sciat, quam cupidus ille pecuniae fuerit, adeo vt etiam leges pretio fixerit atque refixerit, pretio, inquam, ab iis, quorum res agebatur, accepto; aut quis est, quin, si nesciat, credat ipsi PROCOPIO [f]), aut HARMENOPVLO [g]), Iuris Auctori, id clarissime confirmantibus? Neque minus, vt iidem narrant, Praefectus Praetorio Ioannes auaritiae fuit deditus, et pecunia iustitiam flexit. Itaque vterque in summo odio habitus fuit ab vniuerso populo. Quae cum ita sint, nescio sane, quid videant ii, qui auctoritatem Procopio hac in re denegant, cui tamen in ceteris omnibus fidem habent, praeterquam, quod de Iustiniano in malam partem tradit. Itaque, si concesserimus, Iustinianum ipsum pecuniam capturum non fuisse; at cepisse tamen amicos ipsius, Comitesque, Quaestores, quorum in legibus

e) H. E. L. IV, 30. p. 405. ed. Vales.
f) Persic. p. 40. 41. ed. Augustan.
g) L. I. t. 1. §. 10.

legibus et ſcribendis, et conſultandis erat poteſtas, eosque Iuſtiniano, qui nimium propemodum faueret opibus Eccleſiarum, perſuaſiſſe, vt ediceret, ne poſtea ulla contra Eccleſiam, niſi centum annorum, praeſcriptio valeret, hoc verum eſſe non poterit?

§. V.

Narrationis Procopianae fides demonſtratur ex clauſula L. XXIII. C. de SS. Eccl.

Praeterea magnam ſuſpicionem mouet clauſula legis [h]), quae praecipit, vt haec lex etiam *ad lites pendentes pertineat*, ſine dubio propterea, quod illa cauſa Emeſenae Eccleſiae iam eſſet in iudicium deducta. Cum enim legis haec natura ſit, vt futuris negociis formam dare ſoleat, *L. VII. C. de Legibus:* id omnino ſemper fere ſuſpicioſum eſt, ſi lex in praeteritum tempus ſcribitur. Quid eſt, quo CICERO [i]) Verrem apertius atque manifeſtius arguit, niſi hoc, quod edictum ad praeteritum tempus retulit? *In nulla lege*, inquit, *praeteritum tempus reprehenditur, niſi eius rei, quae ſua ſponte ſcelerata ac nefaria eſt, vt, etiamſi lex non eſſet, magnopere vitanda fuerit. Atque in his rebus multa videmus ita ſancta eſſe legibus, vt ante facta in iudicium non vocentur. Cornelia teſtamentaria, numaria, ceterae complures: in quibus non ius nouum aliquod populo conſtituitur, ſed ſancitur, vt, quod ſemper malum facinus fuerit, eius quaeſtio ad populum pertineat ex certo tempore. De Iure vero Ciuili ſi quis noui quid inſtituit, is omnia, quae ante acta ſunt, rata eſſe patitur. Cedo mihi Leges Atinias, Furias, Fuſias, ipſam Voconiam, omnes praeterea de Iure Ciuili; hoc reperies in omnibus ſtatui ius, quo poſt eam legem populus vtatur.* Quid multa? De iure priuato leges futurum tempus reſpicere debent: nemini ius ſuum, iam ante legem iſtam recte quaeſitum, auferri fas eſt: ſin autem: aut gratiae, aut odii, aut alicuius cupiditatis cauſa legem compoſitam eſſe, ſuſpicio exiſtit. V. IAC. GOTHOFRED. *Comm. Cod. Theod. p. 10.*

h) L. XXIII. C. de SS. Eccl.
i) Verr. I, 42.

p. 10. T. I. ed. Ritteri V. C. nosque ipsos in *Commentario de Legibus Traiani p. 57. sq.*

§. VI.

Regulae ponuntur, ad quas disputatio dirigatur.

Perfectum est hoc, ne quis de veritate Procopianae narrationis dubitet. Nunc igitur ad rem propositam reuertamur. Primum vtemur argumentis ex ipsa Legum Constitutionumque Nouellarum forma petitis: deinde aliis etiam auctoritatibus et rationibus sententiam nostram confirmabimus. Postremo autem, quae contra nos erunt dubitationes, refutare conabimur. In quo arbitramur nos felicius posse procedere, si quasdam quasi leges constituamus ac regulas, ad quas nostram disputationem dirigamus. Prima esto haec: *Quae lex non est abrogata, ea adhuc valet.* Siue vt verbis legum loquar: *Quod non mutatur, cur stare prohibetur* [k]*)?* quod dictum in vna re testamentaria, patet latius, et transferri in multas res potest. Altera lex esto haec: *Ad quam prouinciam non fertur ac dirigitur aliqua Lex, quaeue prouincia non est comprehensa Constitutione, eam non tenet.* Hanc Legem ne ipsi nullo iure rogasse videamur, auctores dabimus Imperatorem TRAIANVM, PLINIVMque. Nam Plinius quidem *ep. X, 71.* ad Imperatorem refert, cum quaesitum esset, an danda esset adsertio eorum, quos Θρεπτὰς vocarent, de iis se audiuisse quidem Constitutiones principum: *sed, quia nihil inueniebam*, inquit, *aut proprium, aut vniuersale, quod ad Bithynos ferretur, consulendum te existimaui, quid obseruari velles.* Commemorat deinde Rescripta et Constitutiones principum, sed quae ad singulas tantum prouincias pertinerent. Huic epistolae TRAIANVS respondet *ep. 12. Nec quidquam inuenitur in commentariis eorum principum, qui ante me fuerunt, quod ad omnes prouincias sit constitutum. Epistolae sane sunt Domitiani - - sed inter eas prouincias, de quibus rescripsit, non est Bithynia: et ideo nec* etc. Neminem itaque arbitramur fore, qui legem istam a nobis rogatam non sit iussurus: cum inprimis ad interpretationem Codicis sit vtilissima. Nam eius obser-

k) L. XI. C. de testam.

obſeruatione multae ἀντινομίαι, vt dicuntur, facili negocio tolli poſſunt. Neque vero eſt, quod exiſtimet quis, quia in Codicem relatae ſint Conſtitutiones, eapropter omnes eſſe vniuerſales factas. Vt autem intelligi poſſit, quam prouinciam, aut praefecturam praetorianam, aut denique Imperii partem, Orientem, an Occidentem, ſpectet Lex aliqua, diligenter obſeruandae, atque circumſpiciendae ſunt Legum Inſcriptiones, ac Subſcriptiones, quas profecto nec IVSTINIANVS, nec THEODOSIVS fruſtra iuſſit tam diligenter adiici. Et quanquam Inſcriptionum Subſcriptionumque multae aliae ſunt ad interpretationem vtilitates, ac tantae quidem, vt IAC. GOTHOFREDVS, Summus Iuris interpres, nulla fere alia, niſi hac luce obſcuriſſimas Leges colluſtrarit in Commentario Codicis Theodoſiani, vtque adeo iure meritoque ille harum vſum in *myſteriorum arcanorumque* numero repoſuerit: tamen haec, quam propoſuimus, non eſt minima: Sed non attinet plura hic ea de re diſputare: qui deſiderauerit ampliora, eum ad IAC. GOTHOFREDI *Diſcurſ. Hiſtor. ad Leg. Quisquis c. III.* qui deinde in Codicis Theodoſiani Commentarium relatus eſt, et ad eiusdem *Prolegomena Cod. Theod. c. VIII. et IX.* ablegamus: cui quidem rei fidem denegare, et adſenſum velle, eius eſſe putamus, qui nihil videat.

§. VII.

Praeſcriptionem C. ann. non eſſe Eccleſiae R. abrogatam per Nouell. CXI. et CXXXI. docetur ex inſcriptionibus earum.

Iam igitur nemo fere negat, vti iam ſupra oſtendimus, hanc Centenariam Praeſcriptionem datam eſſe Eccleſiae Romanae per NOV. IX. vti Orientalibus fuerat conceſſa *lege XXIII. Cod. de SS. Eccl.* Sed adfirmant omnes abrogatam eſſe ab eodem Iuſtiniano. Quomodo? Si factum hoc eſt; per NOV. CXI. et CXXXI. factum eſſe oportebit. Id autem ſtatui non debere, nunc, tranſlata ad vſum regula ſupra propoſita, oſtendam. Concedo primum, ereptum hoc priuilegium Eccleſiis Orientalibus per CXI. et CXXXI. NOVELLAS. Nego autem, Romanae. Inſcripta enim illa eſt *Theodoto Orientalium Praetoriorum Praefecto,*

fecto, data *Cos. Basilio* a. Ch. ıɔxxxv. haec autem *Petro Praefecto Praetorio Orientis:* quo autem Cos. quoue anno data sit haec Nouella, cum libri editi videantur in subscriptione vitiosi, postea dicam. In vtraque additur haec cautio, vt curent Praefecti Praetoriorum, ad quos datae sunt Nouellae, *eas ad omnium notitiam peruenire.* Nunc vero, non potest aliquis legem aliquam promulgare, nisi in ea prouincia, cui praeest. Itaque cum Italia et cetera Romana Ecclesia non paruerit Praefectis Praetoriorum Orientis, ab his etiam non potuit illa ad legem hanc seruandam adigi. Paruit Occidens aliis magistratibus, qui non suberant imperio Praefectorum Orientis. Quod vidit profecto ipse IVSTINIANVS, qui cum iam Orientalibus dedisset priuilegium *L. XXIII. Cod. de SS. Eccl.* necesse tamen existimauit, etiam singulari aliqua Constitutione Ecclesiae Romanae tribui. Nam misit Nouellam IX. ad *Ioannem Archiepiscopum veteris Romae*, eique hoc beneficium concessit, et quidem Latina solummodo lingua, in qua etiam nunc hodie tantummodo scripta Nouella haec extat. Quemadmodum igitur Iustinianus sanctione peculiari Ecclesiae Romanae hoc priuilegium concedendum duxit; ita sine dubio etiam abrogandum censuisset. Id adeo necessarium erat, cum tunc temporis Roma propemodum tota iam esset separata, nisi in quantum ipsi libitum esset, certe inter partes Imperatoris, et Gothorum Regum officia, esset diuisa, neque in Italia esset aliquis magistratus Imperatoris, cui promulgatio demandari posset. Iam quamuis hoc argumentum, quo vsi sumus, grauissimum esse debeat apud eos, qui vim eius capere possint, adeoque eo solo defungi possimus: tamen liberaliter agemus, et alia non minus magna adferemus, quibus efficiatur, Ecclesiae Romanae id beneficium Iustiniani non fuisse ademtum.

§. VIII.

Quaedam obseruationes de L. XXIII. C. de SS. Eccl. Nou. IX. et CXI. et CXXXI.

Antequam vero facimus id, quod ostendimus, non alienum erit, quasdam de hisce Legibus et Nouellis, quibus praescriptio

ſcriptio Centum annorum, et conſtituta et abrogata dicitur, obſeruatiunculas proponere, quas quidem nec inutiles, nec iniucundas Lectoribus noſtris, fore putamus. *L. XXIII. C. de SS. Eccleſ.* ſcripta eſt ad *Iulianum P. P. Iuſtiniano P. P. A. Coſ.* quemadmodum inſcriptio ſubſcriptioque indicat. Certum mihi uidetur Iuſtiniani Conſulatus ſecundus intelligendus eſſe, efficiturque, vt ſcripta ſit *anno Chr.* IↃXXVIII. quo Iuſtinianus propter initia imperii, de more, Conſulatum ſumſit: recteque adeo numerus *a. Chr.* IↃXXVIII. in editionibus Codicis adſcriptus. Neque enim puto, capiendam eam ſubſcriptionem de alio *Conſulatu* Iuſtiniani, quia in eo titulo ſequitur Lex *Lampadio* et *Oreſte* Coſſ. data. Ceterum credibile eſt, Nouellam IX. cuius ſubſcriptio eſt: *Beliſario Coſ.* hoc eſt, *anno Chr.* IↃXXXV. quo anno Iuſtinianus Decennalia imperii Caeſarei celebrauit: V. PAG. *Crit. Baron. ad h. a.* (Nam eo anno propter Africanum triumphum Beliſario datum eſſe Conſulatum tradit PROCOPIVS *de B. Vandal. II. p. 134. ed. Hoeſchel.*) Nouellam IX. igitur eo anno editam eſſe: vt, quia immineret bellum cum Gothis in Italia, Romanam Eccleſiam ſibi conciliaret Imp. Iam quod ad Nouellam CXI. attinet, eam, non eſt dubium, anno IↃXXXXI. quo Iuſtiniani Quindecennalia incidunt V. PAGI *Crit. Baron. ad h. a.* Conſule *Baſilio*, V. C. vti edit ſubſcriptio, promulgatam. Nec de NOV. CXXXI. inſcriptione magna dubitatio locum habet: quae eſt huiusmodi: *Petro glorioſiſſimo Praefecto Sacrorum Praetoriorum.* Eum enim in Oriente Praefectum Praetorio fuiſſe docet Nouellarum CXIX. CXX. inſcriptio. At maior eſt difficultas in ſubſcriptione NOV. CXXXI. Nam ea in editis libris plerisque ſic habet: *Dat. XV. Kal. April. Conſtan. P. P. A.* * *Baſil. V. C. Coſ.* LEVWENIVS edidit: *Dat. XV. Kal. April. Conſtantinop. DN. Iuſtinian. P. P. Aug. Baſilio V. C. Conſule:* Atque hanc ſubſcriptionem ſecutus eſt etiam PAGIVS *Crit. Bar. ad a. Chr. 541.* quae falſiſſima eſt. Itaque melior eſt ſubſcriptio aliorum librorum, qui, addito aſteriſco, declarant ſubſcriptionem eſſe mutilam. Adiiciendum ſine dubio *Poſt Conſulatum Baſilii.* Cum enim poſt *Baſilium Coſ.* nemo priuatorum amplius Conſulatum adeptus ſit V. PAGI Diſſ. Hypat. *P. II. c. ult. ſ. V.* anni poſt Conſulatum eius

 adnotari

adnotari solebant. Quotus autem annus sit addendus, reperisse videor ex IVLIANI *Epitome Nouellarum.* Nam ille huius Nouellae subscriptionem ita edit: *Dat. XI. Kal. April. DN. Iustin. P. P. A. Ann. XVIII. Post Basilii V. C. Cos. Ann. IIII.* v. eius Nou. CXIX. *p* 184. *ed. Pithoe. Basileens. ao.* 1576. *fol.* Incidit hic in annum Chr. IↃXXXXV. Sequenda itaque sine dubio est scriptura IVLIANI, ex eoque emendanda subscriptio editorum librorum omnium.

§. IX.

Ecclesiae Rom. praescriptionem ademtam non esse, demonstratur ex Auth. *Quas Actiones C. de SS. Eccl. simulque de Authenticis vniuerse agitur.*

Sed reuertatur eo, vnde digressa est disputatio. Propositum diximus nobis esse, aliis argumentis demonstrare, Praescriptionem Centum annorum Ecclesiae Romanae non esse ademtam, atque adeo iure meritoque ei vindicari. In quo eandem, quam supra tenui viam, sequar: vt aliquam tamquam normam ponam, ad quam rationes meas dirigens, errare facile non possim. Est autem haec: *In omni de duabus legibus contrariis disputatione, si quis velit ostendere, vnam altera non esse sublatam, in eo adhibenda esse scriptorum testimonia eorum, qui, qua lege abrogari altera dicitur, post paullo eam latam scripsere; quibus testimoniis dicant, aut significent, suo tempore adhuc eam, qua de controuersia est, legem in vsu atque auctoritate fuisse versatam.* Atque in eo primam fidem facit AVTHENTICA *Quas Actiones Cod. de SS. Eccl.* quae quidem disertis verbis edicit: *Sola Romana Ecclesia gaudente Centum annorum praescriptione.* Igitur cum dicit, solam Ecclesiam Romanam eo beneficio vti, necessario intelligitur, alias exclusas fuisse: id quod factum est Nouellis CXI. et CXXXI. Quo argumento cum vtar, tamen vnusquisque facile, etiam me non monente, intelliget, me Authenticas non pro legibus agnoscere: immo vero quibusdam earum pro testimoniis historicis

ſtoricis vtendum cenſeo, iis nimirum, quarum antiquitas poſſit liquido doceri. Verum ne quis huius Authenticae auctoritatem reiiciat, is habeto, eam ab Irnerio factam eſſe non videri, ſed eſſe ſine dubio aetati Iuſtinianeae ſatis propinquam, poſteriorem tamen Nouellis CXI. et CXXXI. quibus quidem ſublata creditur omnis praeſcriptionis centenariae auctoritas. In quo quidem duo oſtendenda ſunt: primum, IRNERIVM non omnium Authenticarum fuiſſe auctorem: deinde quasdam Authenticas ſatis antiquas eſſe, aeuoque Iuſtinianeo fere ſuppares. Ac primo quidem Irnerium non omnes compoſuiſſe, argumento eſt hoc, quod in GLOSSIS ad Authenticas ſaepenumero reperimus: *Sumſit Irnerius ex illo libro*, vel ſimilem aliquam formulam. Deinde plura ſunt loca veterum Gloſſatorum, quae, alios etiam viros praeter Irnerium in conficiendis Authenticis elaboraſſe, teſtantur. Vnum alterumue ſatis erit commemoraſſe. IOANNES [l]): *in ſumma nota*, inquit, *quod ex hac conſtitutione quidam habent in Cod. in tit. praed. ſuper L. praed.* SACRI ADFATVS, *vel ſuper L. fin. authent. quae ſic incipit:* GLORIOSISSIMI QVOQVE etc. Sic et AZO memorat [m]): *Habent hic quidam authenticam:* SED CVRIALES [n]). Denique quod huc inprimis facit, idem AZO [o]): *Quidam habent ita conſequenter*, ait, *in authentica:* SOLA ECCLESIA ROMANA. In quibus cum ſemper Gloſſatores dicant: *Quidam habent*, et ſimilibus formulis vtantur, quid aliud, quam innuunt, multos alios, praeter Irnerium, operam faciendis Authenticis dediſſe? Vt adeo IRNERIVS plerarumque tantum compilator eſſe videatur, qui eas aut ex vetuſtis et Iuſtiniano haud multo recentioribus Iuris auctoribus, aut ex recentiorum ICtorum libris excerptas collectasque, ſuis quamque locis ſubiunxerit. De priori vidimus: Quis vero mihi erit auctor, eſſe inter Authenticas etiam quaſdam, quae ad Iuſtinia-

l) in Summ. ad Coll. VIII. Conſtitut. 10. ſeu ad Nouell. CXIV.

m) Comment. ad L. Quoniam. penult. Cod. de haeret.

n) *Quidam* non libri, ſ. Codd. ſed homines. Id intelligitur ex iis, vbi libri intelligi non poſſunt. v. c. Gloſſa *ad eand. L. ad fin. Signant hic quidem talem authenticam, ſed hodie* etc. Sic interdum: *ponunt quidam authenticam.*

o) in eod. Comm. ad Tit. Cod. de SS. Eccl. n. 74. in Auth. Quas Actiones.

Iustiniani aeuum prope accedant, aut satis tamen antiquae sint? Hac in causa testimonium denuncio GREGORIO M. Pontifici Romano, qui, vix triginta annis post Iustiniani mortem, Romanae Ecclesiae praefuit. Is vero ad verbum recitat AVTHENTICAM: *Presbyteros et Diaconos C. de Episcop. et Cleric.* p). *Ne vero obiiciatur*, inquit, *quia de Clerico hoc loquitur, non de presbytero; sciendum est, quia superius in eadem constitutione LIB. COD. I. legitur adpellatione clericorum etiam presbyteros ac diaconos contineri. Verba autem legis ista sunt:* PRESBYTEROS AVTEM ET DIACONOS ET SVBDIACONOS, CANTORES, ET LECTORES, QVOS OMNES CLERICOS ADPELLAMVS etc. Qui locus etiam illatus est in Corpus Iuris Canonici q). Quamquam equidem hoc argumentum pertinaciter tenere nolim, qui sciam, BYNCKERSHOECKIVM *Exerc. de Auctor. Authent. c. VI.* existimare, verba illa: *Lib. I. Cod.* notam marginalem fuisse, in textum deinde irrepsisse: Nam quod dicit *superius*, et *in eadem Constitutione*, non ad Authenticam referri, sed ad ipsam Nouellam debet. Huc accedit etiam, quod vox *autem* in Nouella quidem reperitur: non vero in Authentica. Porro Codices scripti etiam in verbis *Lib. I. Cod.* variant. v. P. LVDOVICVS *Vita Iustin. c. VIII. §. 46. p. 259. sq. in not.* Atque profecto hac Gregorii M. auctoritate, carere possumus. Nam saepenumero Glossae notant ipsae, antiquas quasdam Authenticas fuisse. Quam in rem audiat mihi quis vel hoc solum Scholium r): *Antiqui minus in littera habent huius Authenticae, quam moderni.* Alexander non minus s) veteres Authenticas a recentioribus distinguit: *Sed ita tenetur quis, si constituendo personaliter de se promittat: alioquin impersonaliter loquendo non obligatur. Ita*, subiicit, *imperfecte ponebatur* SECVNDVM VETERES. *Sed dominus meus posuit plenius sic Auth. Si quando aliquis pro se.* Cum igitur ostenderimus antiquiores Irnerio extitisse Authenticas; nemo facile negabit, eam quoque, a qua omnis sermo defluxit, antiquam esse

p) Lib. XI. epist. 50. et 56. seu XIII. ep. 45.
q) c. 38. caus. XI. Qu. r.
r) *ad princip. Authent.* Qua in prouincia. C. vbi de crim. agat.
s) Comment. Azon. ad Cod. Lib. I. de constit. pecun. in Auth. Si quando.

esse posse? Sed ita reuera esse, argumentis quibusdam confirmabimus. Iam supra recensuimus Glossam AZONIS [t]), vbi, *quidam habent*, dicit, *ita consequenter in authentica:* SOLA ECCLESIA ROMANA etc. Quod quid est aliud, quam argumentum, antiquos iam hac Authentica, quae superest, vsos fuisse? Idem etiam potest quodammodo subindicatum videri in eiusdem AZONIS aliqua notula [u]): vbi referuntur variae eius Authenticae lectiones: *ex multis et omnibus fere libris* ANTIQVIS. Huc etiam refero, quod idem Commentator [x]) *tractam esse Auth.* Quas Actiones *ex aliis duabus* testatur. Scilicet iam olim tractam esse oportet ex duabus aliis antiquis, propterea quod non commemorat, quis auctor fuerit, quod signum est, ignoratum tum fuisse eum, qui ex duabus Authenticis composuerit vnam. Antiquitas autem huius, de qua loquimur, Authenticae certius et clarius adparebit ex iis, quae paullo post de fragmento IVLIANI *Antecessoris C. Politiani* sumus in medium prolaturi. vid omnino BYNCKERSHOEK. *Exercit. de Authent. auctor.* cui nos Glossatorum loca debere ingenue fatemur. Si itaque AVTH. Quas Actiones *C. de SS. Eccl.* antiqua est, et Iustiniani temporibus non nimis remota, quod speramus effectum a nobis iam esse; inde fit, vt veteres post Iustinianum ICti, Ecclesiae Romanae praescriptionem Centum annorum ademtam a Iustiniano non fuisse, existimarint.

§. X.

Idem ostenditur ex Synopsi Basilicorum.

Quae argumentatio, si quis erit, cui non satis grauis videatur, ei magnum hoc ac firmum argumentum, quo iam vtar, videatur necesse est. Neque enim video, quomodo quis reprehendere possit testimonium SYNOPSEOS *Basilicorum*, quae meam sententiam clarissime atque manifestissime tuetur.

t) Comment. ad tit. C. de SS. Eccl. n. 74. in Auth. Quas actiones.

u) ibid. n. 74.

x) in eod. Comment. ibid.

tuetur. Habet autem haec [y]): Ἀνάγνωθι καὶ τῦ βιβλίυ τύτυ τίτλ. α. κεφαλ. ις. καὶ λε. καὶ λϛ. καὶ μγ. καὶ κεφαλ. θ. ἐν ᾧ φηςὶ περὶ τῆς ἐκκλησίας Ῥώμης τῦ ἔχειν αὐτὴν τῶν ρ. χρόνων παραγραφὴν. *Lege etiam huius libri tit. I. c. 16. et 35. et 36. et 43. cap. 9. in quo dicitur, Ecclesiam Romanam habere Centum annorum praescriptionem.* Dicit autem ἔχειν *habere*, non *habuisse*.

§. XI.

Confirmatur ex Iuliani Antecessoris Dictato.

Est hoc argumentum ac testimonium tanta vi, vt vix credam fore, qui ei non cedat. Verum tamen, quoniam praeuidi futuros esse nonnullos, adhuc pertinaciter repugnantes, quemadmodum Romani extremae necessitati ac decertationi, vbi res prima acie decerni non potuerat, fortissimos quosque atque exercitatissimos seruare solebant: ita ego quoque mihi faciendum esse duxi, vt triarium firmissimum nouae impressioni reseruarem. Est autem is IVLIANVS, Legum Interpres, atque Antecessor Iuris Constantinopolitanus eruditissimus, qui ipsius Iustiniani tempore vixit, antiquus adeo, idoneusque auctor ac testis, quem reiicere nemo possit. Is igitur [z]): *Non lateat vero te,* dicit, *quod Ecclesiis quadraginta annorum praescriptio opponitur, vt caueatur Constitutione circa centesimam Nouellarum posita: Ecclesiae autem Romanae Centum annorum praescriptio obiicitur, vt est relatum in* LIB. I. COD. TIT. DE REBVS ECCLESIASTICIS, *constitutione principis nostri.* Quo fragmento quid potest esse insignius, quid disertius ac denique egregium magis? Nonne enim, quae supra disputauimus, confirmat omnia? Primo enim docet, iam suo tempore aliquam Authenticam in *lib. I. Cod. tit. de rebus eccles.* relatam fuisse, qua, Ecclesiam Romanam praescriptione Centum annorum

y) Lib. II. tit. III. c. I.

z) p. 63. in fragmento, quod Pithoeus primus in lucem edidit, subiunctum *Collationi Legis Mosaicae*, quodque inscribitur: *Iuliani Antecess. Dictatum de Consiliariis.* Edita est ea Collatio Lutetiae a. 1573. 4. ex officina Rob. Stephani. In ea etiam reperitur eiusd. *Iuliani Antecess. Collectio de tutoribus* it. *Iustiniani Nouellae Constitutiones III.* Locus laud. est in ed. Basil. *Iuliani* p. m. 206.

rum excludi, traderetur. Dicit enim, *Ecclesiae Romanae Centum annorum praescriptio obiicitur, vt est relatum in lib. I. Cod. tit. de reb. eccles.* Et quis dubitet, ICtos statim eo tempore, quo Iustinianus Nouellas, contrarias quibusdam Constitutionibus Codicis, promulgasset, suae memoriae vtilitatisque causa, instituisse argumentum Nouellarum iis, quibus derogarent, constitutionibus, subiungere? Deinde hic locus Iuliani ostendit, quamuis NOVELLAE CXI et CXXXI. prodiissent, e quibus quadragenaria praescriptione Ecclesiae repelluntur: tamen Romanam Ecclesiam suum priuilegium Centum annorum saluum atque integrum retinuisse. Id significat, cum tradit: *Ecclesiis quadraginta annorum praescriptio opponitur, vt cauetur in constitutione circa Centesimam Nouellarum posita: Ecclesiae autem Romanae Centum annorum praescriptio obiicitur.* In quibus quis est, quin videat, separari Ecclesiam Romanam a ceteris: his quadragenariam, illi centenariam obiici? Neque adeo quisquam dicere potest, Iulianum respicere ad tempus illud, quo illa praescriptio per *L. XXIII. C. de SS. Eccles.* omnibus Ecclesiis condonata fuerit, adeoque etiam Romanae: cum diserte opponat vtrasque Ecclesias, et duplicem praescriptionem Ecclesiasticam memoret. Denique ex eodem cognoscimus, cum ista scriberet IVLIANVS, Imperatorem Iustinianum adhuc vixisse: quoniam dicit: *constitutione principis nostri.* Quae res eo magis nostram rationem iuuat, quod Iulianus Ecclesiae Romanae Centenariam praescriptionem agnoscit, scribens viuente adhuc Iustiniano, et post legum *Nou. CXI. et CXXXI.* promulgationem, quibus abrogatam esse contendunt. Scio equidem, huic Iuliani auctoritati opponi posse ipsum IVLIANVM, qui in *Epitome Nouellarum ad Nou. VII.* contrariam sententiam defendere videatur. Sed de eo postea videbimus, cum, quae dubitationes aduersus sententiam nostram adferri possunt, iis refutandis minuendisque operam dabimus.

§. XII.

Argumentum ducitur ex Edicto Iustiniani, cuius initium est: Pro Petitione Vigilii: *et ex collectione Nouellarum a Iustiniano ipso facta.*

Iam porro si principis est, priuilegia sua, quousque patere debeant, explicare, eaque confirmare: hoc quoque in loco Iustinianus, Imperator Sacratissimus, priuilegium Sedi Romanae datum confirmasse mihi quidem videtur. In Iuliani enim Antecessoris, de quo paullo ante locuti sumus, Epitome reperitur *Pragmatica Sanctio* IVSTINIANI, in Italiam missa, cuius initium est: *Pro petitione Vigilii:* in qua Sanctione pragmatica c. I. confirmat omnia priuilegia, ab Athalarico Rege, Amalasuntha, vel Theodahato Romanis concessa: et inter ea quoque edicit: *Sed et ea,* QVAE A NOBIS, *vel a piae memoriae Theodora Augusta quondam coniuge nostra conlata sunt, volumus illibata seruare.* Quis vero dubitet, cum ea, quae ipse concessisset, confirmet omnia, an in iis priuilegium quoque Centum annorum ab eodem ipsis donatum comprehensum intelligatur. Denique, cum paullo post Iustinianum, forte etiam eo viuo, Collectio Nouellarum facta sit, quod erudite demonstrauit IO. DAN. RITTERVS Vir Celeberrimus, ad *Heinecc. Histor. Iur. I,* 397. qua hodienum fortasse vtimur: quis credat Nouellas istas in eo Corpore relictas fuisse, si contrariae fuissent, et prior posterioris auctoritate abrogata?

§. XIII.

Causae, quare ceteris Ecclesiis priuilegium C. ann. ademtum, Soli Eccl. Rom. relictum.

At dicat aliquis, quae causa fuit, quare Iustinianus, quam abrogaret praescriptionem in actionibus Ecclesiarum Orientis, causis Ecclesiae Romanae relinqueret? Intelligo, quid dicatur: Nempe causam abrogatae huius praescriptionis vniuersalem esse, et non minus in Romanam, quam Orientales Ecclesias conuenire. Est sane hoc aliquid: fateor. Nam in NOV. *CXI. praefat. Dudum siquidem iusseramus,* inquit, *ad centum illis annos exceptionis propagari curricula, per cuius licentiam*

tiam sanctionis negocia quidem multa commota sunt, et velut antiquorum vulnerum obductae patuerunt iterum cicatrices: sed eorum sanitas prouenire non potuit, probationum scilicet difficultatibus impedita: quoniam per tantum saeculi magis quam temporis spatium, nec documentis integritas, nec actis fides, nec aetas valeat testibus suffragari. Quid igitur? Nonne etiam in Occidentis prouinciis eadem vulnera, eaedem cicatrices tempore diuturno iam obductae recrudescere potuerunt? Potuerunt sane. Sed si historiam supra traditam, auctoritate Procopii, memoria repetimus, maxime probabile est, Iustinianum, iis verbis spectasse actiones, quas Ecclesia Emesena aduersus complures Ciuitatis principes habere dicebatur, quarumque dies iam exierat. Has, cum beneficio Legis XXIII. C. de SS. Eccles. exercerent antistites Ecclesiae Emesenae, fieri non potuit, quin multae exinde lites et controuersiae, multae turbae existerent. Huc accedit, quod precibus Emesenorum seu largitionibus potius eam Legem condonauerat, cuius pudore suffundi necesse erat. Qua re commotus, iusta sanctione Edictum illud reuocauit. At hoc minime conuenit in illam Nouellam, qua Ecclesiae Romanae idem beneficium tribuit. Non enim precibus exoratus, non largitionibus expugnatus, sed sua sponte, beneuolentia, siue etiam gratiae Episcopi Romani captandae causa, istam Nouellam edidit. Quare etiam statim ab initio ait: *Vt legum originem anterior Roma sortita est, ita et summi pontificatus apicem apud eam esse, nemo est, qui dubitet. Vnde et nos necessarium duximus patriam legum, fontem sacerdotii speciali nostri numinis lege illustrare*, et infra: *Quod igitur nostra aeternitas ad omnipotentis Dei honorem, venerandae sedi summi Apostoli Petri dedicauit*, cet. Epilogus autem ita habet: *Sanctitas itaque tua praesentem nostrae mansuetudinis legem piissimam, siue sacrosanctam oblationem, quam Deo dedicamus, accipiens intra sacratissima vasa reponat: et a nobis seruandam, et omnes ecclesiasticas possessiones seruaturam.* Ex quibus verbis satis clarum esse arbitror in NOV. IX. proprium priuilegium Ecclesiae Romanae contineri. Huc accedit, quod ea NOV. IX Decennalibus Iustiniani data est: quibus festis Impp. solebant, praeter alia, Ecclesiis priuilegia tribuere, vt docet

PAGIVS *Diss. Hypat. p. m. 109. sqq.* Caussa itaque non eadem erat auferendi huius beneficii Ecclesiae Romanae, quae erat in Oriente. Immo vero Imperator multas graues caussas habebat, quare Ecclesiae Romanae idem seruaret, quod adimebat aliis. Nam cum, quo tempore NOVELLA CXI. prodierat, maximum Iustiniano bellum instaret cum Gothis in Italia, expediebat Episcopum Clericosque Romanos omni studio complecti, ac fouere, qui magnum momentum ad exitum belli facere possent. Quam male sibi Imperator consuluisset, si in ista necessitate Episcopum Rnmanum offendisset, et tam luculento beneficio rursus erepto, totum a se abalienasset? Itaque caussa, quare praescriptionem Romanae Ecclesiae eriperet, nulla erat, at, quare relinqueret, permagna.

§. XIV.

Dubitationes refelluntur, prima ex Iuliani Nouellarum Epitome.

Iam cum aciem nostram instructam satis firmasse videamur, restat tertium, vt aduersarias copias frangamus. Ac primum, qui in nostris praesidiis supra positus est *Iulianus* Antecessor, prodere nos aduersariis videtur. Qui ne detrimentum rei nostrae adferat, est etiam atque etiam prouidendum. Is in *Epitome Nouellarum* eo loco, quo de Nou. IX. exponit, quae est in ea Epitome octaua p. 19. ed. Pithoe. *Praesens constitutio*, inquit, *quae Consulatu Belisarii Kal. Maii data est, iubet quidem sacratissimam Ecclesiam Romae Centum annorum praescriptione solam in suis actionibus remoueri. Nihil autem de ea latius exponimus, quia innouata est alia constitutione, quae data est IX. Kal. Maii Belisario V. C. Consule.* In quibus cum dicat, *innouatam esse* NOV. IX. *alia constitutione*, nonne nos impugnat? Quid est igitur? Nondum metuo. Nam locum corruptum esse, arguunt verba: *quae data est IX. Kal. Maii Belisario V. C. Consule.* Quomodo constitutio, quae est prior, *IX. Kal. Maii* edita, innouare potest constitutionem posteriorem, ipsis *Kal. Maiis* eodem anno sancitam? Neque vero vlla constitutio reperitur *IX. Kal. Maii* data *Belisario Consule.* Porro cum tradit SOLAM Ecclesiem

clesiam Romae praescriptione Centum annorum remoueri, necesse est, vt ceteras ecclesias ea non excludi, significet. Qua quidem re efficitur, vt aut magis nostram sententiam iuuet, atque confirmet, aut certe nobis tamquam aduersarius opponi nullo modo possit.

§. XV.

Altera ex Brachylogo Iuris Ciuilis.

Alius nobis aduersarius occurrit BRACHYLOGVS omnis *Iuris Ciuilis*, qui *Lib. I. cap. XI. de praescriptionibus XXX. vel XL. annorum* scribit: *Si quis rem alienam bona fide, seu sciens alienam, titulo, vel sine titulo, per iuge tricennium sine aliqua legali interpellatione, pro sua possederit: aduersus petentem quemlibet, nisi sit venerabilis domus, vel fiscus, iusta se praescriptione defendet. Hae enim personae* (h. e. venerabilis domus, vel fiscus) *nonnisi XL. annorum praescriptione remouentur.* Huic dubitationi duplici via occurri potest. Primum, auctor huius libri Graecus fuisse videtur, quemadmodum scribendi genus ad Graecum sermonem effictum satis declarat, docetque etiam ipse libri index Graecus: adeoque quae de praescriptione Ecclesiis opponenda dicit, ea ad Orientales Ecclesias pertinere debebunt. Si quis autem hac aduersus nos ratione vtatur, quod doceat *Ill.* SENCKENBERGIVS *praefat. Brachylogi*, Codices manu scriptos eius in Gallia inuentos esse, adiunctis PAVLLI, VLPIANI, CAII libris; eum in Occidente, et quidem in Gallia floruisse oportere: tamen ne sic quidem causam nos perdituros esse arbitramur. Concedamus in Gallia vixisse. At in Gallia Iustiniani leges non fuerunt receptae. Deinde eum non ad NOV. CXI. verbis supra positis respexisse, sed potius ad Legem ANASTASII, quae est in *L. vlt. C. de fund. patrimonial.* manifestum ex vtriusque comparatione. Nam ANASTASIVS in ea Lege: *Iubemus*, inquit, *omnes, qui in quacunque dioecesi, vel quacunque prouincia, vel quolibet saltu, vel ciuitate fundos patrimoniales vel templorum, aut aganothetici, seu releuatorum iugorum vel cuiuscunque iuris per quadraginta iugiter annos ex quocunque* TITVLO, *vel* SINE TITVLO *hactenus possederunt, vel postea per quadraginta annorum spatium possederint*.cet.

§. XVI.

XVI.

Tertia ex Eustathio.

Iam aliud certamen imminet cum EVSTATHIO. Is in libello *περὶ χρονικῶν διαστημάτων*, quem CVIACIVS *T. I. Operum, quae viuus de iure fecit, et edi voluit*, edidit, *p. m. 339. capite περὶ χρόνων μ΄.* §. 5. et 6. *ἡ τῶν σεπτῶν οἴκων ρ΄ ἐτία ἧς μέμνηται β΄ α΄. τῦ κωδ. τ΄ β΄. δ΄ κγ΄. μ΄ ἐτία ἐστὶ σήμερον. ἔχουσι δὲ καὶ τὰς λ΄ χρόνους καὶ τὰς κ΄ καὶ ι΄. καὶ τρεῖς κὶ α΄. ὡς νεαρὰ ρλα΄. τῶν δὲ βασιλικῶν β΄ ε΄. τ΄ γ΄. κεφ. γ΄. Αντὶ τῶν δέκα καὶ κ΄ καὶ λ΄ ἐτῶν ἡ μ΄ ἐτία μόνον ἀντικεῖται τοῖς σεβασμίοις οἴκοις, ὡς νεαρὰ ρλγ΄. τῶν δὲ βασιλικῶν β΄ ε΄. τ΄ γ΄. κεφ. γ΄.* Dicit igitur *hodie venerabilibus locis propter Nouellam CXI. et CXXXI. solam praescriptionem XL. annorum, pro Centenaria, opponi.* Quo quid nobis magis aduersarium esse potest? At Graecus fuit, de Graecis et Orientalibus Ecclesiis loquitur, e iure BASILICORVM, ad quorum *Lib. IV. tit. III. c. 3.* prouocat. Itaque praeesse iis nullo modo potest, qui cum Ecclesia Romana de Centum annorum praescriptione interdicto, aut vindiciis contendunt. Immo vero ex eodem EVSTATHIO telum non infirmum, aut fragile contra aduersarios possum depromere. Nam quod supra ostendi, praescriptionem Centum annorum, quae nominatim in actionibus Ecclesiae Romanae constituta esset, nominatim eandem debuisse eidem abrogari: id EVSTATHIVS non obscure confirmat. Scribit enim *p. m. 311. capite περὶ χρόνων ρ΄.* §. 2. quae *ad redemtionem captiuorum relinquantur, praescriptione Centum annorum excludi, secundum* Leg. 23. C. de SS. Eccl. *propterea quod ea, hac in causa, per Nou. CXI. non sit nominatim sublata.* Auctorem suae sententiae praeterea nominat THEODORVM. Verba eius adscribam: *τὰ εἰς ἀνάρρυσιν αἰχμαλώτων τῇ ἑκατονταετίᾳ ἀποκλείονται, ὡς β΄ α΄ τῦ κωδ. τ΄ β΄. δ΄ κγ΄. τῦτο εἰς μὲν τὰ βασιλικὰ ὑ κεῖται. Φησὶ δὲ ὁ Θεόδωρος ἐν ἑκατοστῇ ἑνδεκάτῃ νεαρᾷ, ὅτι μέχρι νῦν κρατεῖ. τὸ δὲ τρίτον κεφ. τῦ γ΄ τ΄. τῦ ε΄ β΄. τῶν βασιλικῶν δηλοῖ, ὅτι ἀνηρέθη.* Verba THEODORI, in *CXI. Nouella*, quam EVSTATHIVS laudat, repeririuntur in *Graeca Nouellarum Editione H. Scrimgeri* apud *H. Stephan. Paris. 1558. fol. p. m. 278.* obseruante etiam CVIACIO *Obs. V, 5.*

Obſ. V, 5. πᾶσα ἀγωγὴ, inquit, προσήκουσα σεπτῷ οἴκῳ, εἴτε προσωπικὴ εἴτε ὑποθηκαρία ἐστὶν, οὐχ ὑπερβαίνει τὰ τεσσαράκοντα ἔτη τῶν ἁρμοζουσῶν ἑκάστῳ τοιούτῳ εὐαγεῖ οἴκῳ προσκαίρων παραγραφῶν, φυλαττουσῶν μέντοι ἐτοὺς οἰκείους χρόνους. ἔνθαέ φησὶν, ἑκατὸν ἔτεσι μόνοις φθείρεσθαι τὰς ἀνηκούσας τοιούτοις σεπτοῖς τόποις ἀγωγὰς, ὁμοίως καὶ τὰς ἐπὶ τοῖς ἐαθεῖσιν εἰς λύτρωσιν αἰχμαλώτων. πλὴν σημαίνει, ὅτι ἡ προκειμένη οὐκ ἐμνημόνευσε τῶν ἐπὶ αἰχμαλωσίαν ἐαθέντων ἀγωγῶν. ὥστε οὖν νομίζω, ὅτι μέχρι τοῦ νῦν μόνῃ τῇ ἑκατονταετίᾳ καὶ οὐχὶ τῇ τεσσαρακονταετίᾳ φθείρονται.

§. XVII.

Dubitatio eorum, qui Nouellam Nonam, pro ſpuria habent.

Cum vero ſint, qui NOVELLAM IX. ſpuriam eſſe, ſuppoſiticiamque exiſtiment, eaque re beneficium Centum annorum ab Eccleſia iniuria vſurpari contendant, quod ipſi numquam fuerit conceſſum: in qua ſententia inprimis eſt WISSENBACHIVS: breuiter minuenda et haec opinio eſt. In quo quidem non erit multis rationibus pugnandum. Cum enim IVLIANVS Anteceſſor *Epitome Nouellarum*, loco ſupra laudato, eam Nouellam diſertis verbis explicet: neceſſe eſt, eam tum extitiſſe, ab eoque pro genuina agnitam eſſe.

§. XVIII.

Dubitatio ex iure Canonico refellitur.

Reſtabat, vt refelleremus ea, quae ex ipſo Iure Canonico [aa]) contradici, quadam veritatis ſpecie, poſſunt, quae ratio eſt et a RITTERSHVSIO *Expoſit. Method. Nouell. Part. XI. cap. 1. p. 667.* contra noſtram ſententiam prolata. Sed, cum is locus, quo vtitur RITTERSHVSIVS inprimis, vt indicat inſcriptio, ſit *epiſtola Gregorii M.* de controuerſia inter monaſterium S. Theodori et Rom. eccleſiam de finibus, *ad Petrum*

aa) v. *c. 2. cauſ. XVI. qu. 4.*

Petrum Subdiaconum, data in *Siciliam*: quae ex nostra sententia, quam supra tradidimus, ad Romanam Ecclesiam pertinet: facile vnusquisque intelligit, etiam nobis non monentibus, istam auctoritatem Gregorianam nostrae rei, rationique nihil aduersari. At ais, Gregorius M. addit: *etiamsi quid sanctae Romanae Ecclesiae competere potuit*. Audio. Quid porro? Gregorius M. adeo agnoscit praescriptionem quadraginta annorum in Ecclesia Romana. Neque hoc nego. Sed aliter ex priuilegii Iustinianei ratione non poterat Gregorius. Monasterium Panormitanum, de cuius possessione quaestio erat, et controuersia, *religiosa domus* erat, eaque in Occidente: adeoque etiamsi quid aduersus eam Ecclesiae Romanae competere posset, tamen Centum annorum praescriptionis vsus non erat, propterea quod iure communi, aduersus se inuicem vtuntur, qui eodem sunt priuilegio ornati, seu vt loquuntur vulgo, *priuilegiatus contra aeque priuilegiatum priuilegio suo non vtitur*. Atque ita facillimo negocio dissolutam esse arbitror dubitationem, rationemque eam, qua ex Iure Canonico siue vtuntur aduersus nos, siue vti possunt. Et haec tamen erat grauissima. Itaque reliqua, quae ex eodem fonte manant, longe citius ac facilius auerti, exsiccarique poterunt. Sed hos minutos riuulos non attinet, consectari diutius: et prohibet temporis, locique penuria. Forte, Deo volente, de Praescriptione Centum annorum ex Iure Canonico agendi diligentius, dabitur occasio. Cumque adeo, quantum temporis ratio permittere, et propositi necessitas postulare videretur, demonstratum sit, e Iure Iustinianeo Praescriptionem Centum annorum in actionibus Ecclesiae Romanae adhuc validam esse: finem disputationi meae imponam. Quam si aequi, intelligentesque existimatores comprobasse intelligam, impense gaudebo.



VIRO

ILLVSTRI MAGNIFICO SVMME REVERENDO

CONSVLTISSIMOQVE

CAROLO OTTONI RECHENBERGIO

IVRE CONSVLTO PRIMARIO SERENISS. AC POTENTISS. REGI POLON. ELECTORI SAXON. A CONSILIIS AVLAE ET IVSTITIAE SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS LIPSIENSIS ADSESSORI PRIMARIO ECCLESIAE CATHEDRALIS MARTISBVRGENSIS CAPITVLARI COLLEGII S. SIXTI PRAEPOSITO DECRETALIVM IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORI PVBLICO ACADEMIAE DECEMVIRO COLLEGII MINORIS PRINCIPVM SODALI ET ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE SPLENDIDISSIMO DECANO ORDINARIO.

PARONO SVMMA PIETATE COLENDO

Siue haec Exercitatio Academica ad peritissimi et intelligentissimi iudicis arbitrium deferenda erat; siue Patronus et auctor quaerendus, a quo praesidium et decus mecum ipsa peteret; siue denique pietatis meae ratio haberi debebat: Tu eras VIR ILLVSTRIS AC MAGNIFICE, *ad quem illis omnibus de causis deferri eam oporteret. Tanta enim Tua est, cum in omni et litterarum et Iuris genere, tum in hoc ecclesiastico iure, doctrina et elegantia, tanta Tua apud*

 omnes

omnes auctoritas, tanta denique erga me, saepe numero, inprimis autem nuper admodum illustri documento probata, beneuolentia et humanitas, vt neque intelligentiorem elegantioremque iudicem, neque grauiorem auctorem labori meo, neque mihi ipsi beneuolentiorem liberalioremque Patronum deligere et optare potuerim. Quare ego neque potui neque debui dubitare hanc Scriptionem ILLVSTRI TVO NOMINI inscribere atque consecrare: inprimis cum eam esse Tuam facilitatem sciam, vt, quo vultu ipsi mihi saepe ad TE aditum dederis, et beneficia tribueris, eodem, hoc

hoc eſt, humanitatis pleniſſimo, hanc meae pietatis et obſeruantiae teſtem ad TE admiſſurus eſſe videare. Vti vero ingenium meum et mea ſtudia omnia TIBI vni omnium vel maxime probari cupio: ità nihil potes facere neque ad voluptatem meam vberius neque ad hominum de me exiſtimatïonem honorificentius, quam ſi me Tuo Patrocinio, Tuaque beneuolentia etiam in poſterum dignum iudicabis.

Ita TE Deus, VIR ILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE, PATRONE OPTIME,

ſaluum et incolumem, et omnibus bonis, omnique proſperitatis genere florentiſſimum ſeruet diutiſſime, TIBI, litteris, Iurisprudentiae, reipublicae

ILLVSTRI NOMINI TVO

ADDICTVS
IO. AVGVSTVS BACHIVS.

PROCANCELLARIVS
D. FERDINAND AVGVST HOMMEL
P. P. O. ET FACVLT. IVRID. ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

D. S.

INSIMVLQVE AD ACTVM INAVGVRATIONIS

SOLLEMNEM

CANDIDATI DIGNISSIMI

DN. IOHANNIS AVGVSTI BACHII
ARTIVM MAGISTRI

AD D. VIII. KAL. OCTOBR. ANNI HVIVS CIƆIƆCCL.

PVBLICE CELEBRANDVM

ACADEMIAE PROCERES AC CIVES

DECENTER INVITAT.



Vt pro more in Academiis hactenus recepto Praeclarissimum Dominum Candidatum nostrum commendem, de honestissimis natalibus eius, de studiorum cursu et vita laudabiliter hucusque acta, quaedam praemitto.

Natus is est anno aerae Christianae CIƆIƆCCXXI. d. XV. Kal. Iunii, Hohendorfii, qui est vicus Conuentus Misnici, patre Ioanne Bachio, Artium Magistro, gregis Christianorum ibi tum Pastore, ante hunc annum beate fatis functo, matre Anna Dorothea Schumannia, Ioannis Schumanni, Pastoris Custriciensis filia, matrona omnibus sexus sui virtutibus ornatissima, adhuc viua. Prima tum Christianae tum omnis Graecarum Latinarumque litterarum doctrinae rudimenta domi posuit, auctore et magistro ipso optimo patre. Dehinc annos XII. natus, Lipsiam in scholam Thomanam delatus, et Amplissimi Senatus Vrbici beneficio alumnus factus, magistrorum eruditissimorum, Winckleri, Krigelii, Dresigii, Ernestique Rectoris, institutione et doctrina fidelissima, in omni litterarum elegantiorum ambitu, per septem annos profecit: toto eo tempore beneuolentia et amplissimis beneficiis, Ernesti Rectoris celeberrimi in primis, ornatus et adiutus: qui eum amore propemodum paterno etiam postea omni tempore prosecutus est: id, quod pio gratissimoque animo lubens meritoque adgnoscit, profitetur, semperque adgnoscet et profitebitur. Eo tempore, quo in schola Thomana versabatur, cum Chalcographiae memoria saecularis celebraretur, iussu Patronorum scripsit Carmen Graecum et Latinum in Chalcogra-

phiam. Anno CIƆIƆCCXL. Gottſchedio Rectore tum temporis Magnifico adſcriptus albo ciuium Academicorum anno ſequente, cum ſcholae carmine Latino valedixiſſet, in Academiam venit: In qua vſus eſt doctoribus, in philoſophia quidem vniuerſa, hiſtoria, elegantioribus litteris, ſcribendi diſſerendique exercitationibus, Erneſto, in hiſtoria Europaea, ac litteraria, Ioechero, in poëtarum interpretatione Chriſtio, in Matheſi, Baermanno. Iuris autem vniuerſi doctores habuit in Inſtitutionibus quidem Iuſtinianis, Bauerum atque Gottfridum Maſcouium, Viros celeberrimos, et me quoque: in Pandectis, controuerſisque Iuris Ciu. capitibus diſceptandis, eumdem Maſcouium: in Iure Publico Io. Iac. Maſcouium, Feuſtelium, Cramerum: in Iure Feudali Bauerum, in doctrina ordinis iudiciarii Saxonici, iurisprudentiaeque formulariae, Sigelium: quorum omnium beneuolentiam et merita gratiſſimi animi memoria proſequitur. Altero ſtatim curriculi Academici anno Stiglitii, Conſulis huius Vrbis grauiſſimi ac meritiſſimi qui potentiſſimo Regi noſtro a conſiliis belli ſanctioribus eſt, domum receptus, filii natu maioris, nunc Iuris Doctoris conſultiſſimi et ſenatoris contubernio et ſtudiorum ſocietate vſus eſt: quo tempore Viri Illuſtris quam beneuolentiam perſpexerat, ſumma animi laetitia gratus recordatur. Poſtea L. B. ab Hohenthal, nunc Capitanei Conuentus Electoralis, ſtudiis comes ac ſocius adiunctus eſt, et multis beneficiis adfectus. Tandem etiam Perilluſtris et Generoſiſſimus Dominus ab Arnimb Comes Regis Cubicularius, ipſi filium, ſuum egregiae indolis adoleſcentem tradidit, cuius ſtudiis

prae-

praeesset. Sed cum specimina etiam publice profectuum edenda essent, primum A. CIↃIↃCCXLIV. praeside Christiano Wilhelmo Küstnero, artium tunc Magistro, nunc senatore et consistorii adsessore, dissertationem *de modo appellandorum regum apud veteres Romanos*, post paullo dissertationem *de plumbatarum vsu*, praeside Car. Gothofredo Wincklero, Artium tunc itidem Magistro, nunc Iuris Doctore et causarum patrono peritissimo, defendit. A. CIↃIↃCCXLV. summis in philosophia honoribus ab Ordine philosophorum amplissimo ornatus, edita disputatione *pro Mysteriis Eleusiniis*, et in auditorio philosophorum defensa, scholas aperuit, quibus Academicae iuuentuti artem latine scribendi disserendique, historiam Iuris antiquitatesque traderet, et auctores tum Graecos tum Latinos in hisque etiam textum institutionum Iustinianearum, interpretaretur. Vt autem de studiorum suorum ratione etiam eruditis constaret, edidit, praeter complura carmina Latina, praeterque multas librorum nouorum censuras variis eruditorum diariis insertas, *Diuum Traianum* siue *de Legibus Traiani Imperatoris eruditissimum commentarium*, nec non *Xenophontis Oeconomicum*, *Apologiam Socratis*, *Symposium*, *Hieronem*, *Agesilaum*, Graece suis animaduersionibus illustratos. Cumque tandem videretur satis temporis impensum esse in iis rebus addiscendis, quibus Iuris Ciuilis et scientia et inprimis interpretatio innititur, aut adiuuatur: petiit mense praeterito ab ordine nostro aditum ad summos in vtroque iure honores. Honestissimis hisce desideriis cum refragari fas haud esset, initio ad consuetum pro pri-

ma laurea tentamen, et deinceps ad examen quoque rigorosum quod vocant, fuit admissus, quod vtrumque cum laude ita subiit, vt, cui dignitas Doctoris in vtroque iure conferatur, dignissimus ab ordine fuerit iudicatus. Restat vt publica quoque specimina pro more in Academia nostra recepto exhibeat. Facturus id est proximo die Mercurii hora pomerid. II. qua *L. 13. C. Quod cum eo qui in alien. potest. est negotium gestum esse dicetur* lectione cursoria in auditorio nostro Petrino interpretaturus est, quo ipso vberrimus de diuersitate peculiorum tum filiorum familias tum seruorum, disserendi ipsi aperietur campus. Notae sunt de varietate peculiorum et ad quam classem hoc vel illud referendum sit, ICtorum controuersiae, in specie de lustrica pecunia, ad quod peculii genus referri debeat, disceptatur, sane quot peculiorum species, tot etiam circa quaestionem istam Doctorum opiniones. Sunt qui ad peculium castrense pecuniam lustricam referunt, verum militia ista spiritualis contra satanam, mundum et carnem in baptismo suscepta non indiget stipendiis. Alii igitur potius peculio profectitio dona baptismalia, accensenda esse statuunt, quia, licet non a patre ipso, sed extraneo veniant, dentur tamen intuitu patris, et ita quasi ex re eius profecta videantur. Equidem non tantum quod ex re patris venit, sed etiam quod ex patris occasione profectum, peculium profectitium est, vt dicitur in §. 1. *I. per quas person. cuiq. acquir.* At textus iste accipiendus tantum de casu, si quis donaturus non fuisset nisi contemplatione patris, et meritis paternis motus,

et

et ſic patri donaturus filio dedit, qui caſus proponitur in *L. 5. §. 2. D. de iure dot.* pecunia autem luſtrica non vnice intuitu patris datur, quia hoc quoque mortuo offertur, ac infanti mox poſt actum baptiſmi in eccleſia abſente patre apponitur, eoque ipſo intentio donantium ſignificatur, quae praeterea in ipſa ſchedula quoque qua mediante munuſculum illud offertur, exprimi ſolet, et veroſimile magis eſſe dicitur id quod filio relinquitur, contemplatione potius huius quam patris relinqui in *L. 17. C. de Vſufructu.* Niſi forte dixeris in compenſationem conuiuii baptismalis munuscula iſta offerri, et ſic parentibus magis quam liberis dari, ſi igitur his a parentibus permittantur, inſtar peculii profectitii eſſe. Enimuero contrarium euicit B. BOEHMER, et pecuniam luſtricam non offerri in compenſationem ſympoſii, nec ex intentione donantium parentibus, ſed liberis acquiri, probauit in *Iur. Eccleſ. Proteſtant. Lib. VII. Tit. 42. §. 45.* accedit quod munera patrinorum offerantur in memoriam baptiſmi, non adminiſtrandi cauſa, ad quod tamen profectitium vnice datur, vtpote quod ideo conceditur, vt frugalitati ſtudere diſcant filii et adſueſcant adminiſtrationi rerum ſuarum, reclamat denique praxis forenſis, quotiescnnque enim concurſus creditorum aduerſus patrem obaeratum excitatur, liberi quando munuſcula ſuſceptorum ſuorum petunt, ſi quidem adhuc in natura exſtant, extra concurſum ante omnes creditores iure dominii ea conſequuntur, ſi vero a patre alienata, in claſſe conueniente locantur. Rectius igitur munera patrinorum referuntur ad peculium aduentitium, ſed ad quodnam?

nam? multi irregulare esse contendunt, in quo patri nihil iuris competit, sed sine sufficiente ratione, in dubio enim pro regula potius statuendum est, quam pro exceptione, et quicquid filius non ex eius, cuius in potestate est, substantia, sed ex aliis quibuscumque causis accipit, peculium aduentitium ordinarium est, patrique vsusfructus, nisi is, a quo res profectae sunt, aliam conditionem expresserit, relinquitur, per *L. 6. C. de Bon. quae lib.* Equidem ad irregulare pertinent quae relicta sunt liberis sub conditione, ne patri vsusfructus obueniat, per *Nouell. 117. c. 1. in princ.* et *Auth. Excipitur. C. de Bon. quae lib.* ex quo coniiciunt nonnulli, quod cum pecunia lustrica detur in recordationem baptismi, aut ne deponant neophytae memoriam patrinorum, praesumtam esse donantium voluntatem ne in munusculo hoc patri competat vsusfructus. Verum inter haec duo nulla necessaria pugna est, potest aliquid dari in memoriam baptismi et susceptorum, et tamen patri in eo competere vsusfructus, in dubio igitur, et vbi conditio non est expressa, donatio pro pura habetur, ad peculium igitur aduentitium ordinarium munus baptismale pertinere et vsumfructum in eo parenti competere veritati magis duco esse consentaneum, idque citra distinctionem quam faciunt alii, vtrum solius patris intuitu hoc munus datum, an non, vid. B. BOEHMER *cit. loc.* §. *46.* vtrum munus oblatum solitum sit et vulgare, an vero insigne seu inconsuetum, quam distinctionem facit LAVTERBACH in *Collegio Pandect. ad Tit. de Peculio* §. *32.* MENCKE *in Theoria et Praxi Pandect. Tit. eod.* §. *12.* An ergo nummos quoque rariores

liberis

liberis in baptismo oblatos permutare et in vsus suos conuertere poterit pater? negant hoc nonnulli, etiam ex his ipsis, qui pecuniam lustricam peculio aduentitio regulari alias annumerant, sed contrarium verius, siquidem non tantum in *L. 8. §. 5. C. de Bon. quae lib.* mobilium rerum alienatio patri permittitur, sed etiam pecuniae ceterarumque rerum fungibilium ea natura est, vt seruatae vsum praestare non possint, adeoque earum tantum quasi sit vsusfructus, in quo proprietas transit ad vsufructuarium, et res finito vsufructu non restituitur in specie, sed in genere vel eius aestimatio *L. 5. §. 1. L. 6. 7. D. de vsufruct. ear. rer. quae vsu consum.* solet quidem a dissentientibus adduci, quod repugnare id videatur menti eorum, qui munuscula ista obtulerunt, quippe qui id fecisse praesumantur pro conseruanda sui memoria, enimuero sicuti memoria ista etiam in surrogato conseruari potest, ita alienationem ex mente patrinorum non esse penitus interdictam, intelligitur exin, quia alias ne ipsis quidem baptizatis, postquam sui iuris facti, esset permissa, quod tamen verosimile non est. Praemissis quaestionibus de pecunia lustrica a plerisque aliis iam excitatis iungere liceat nouam, hactenus a Doctoribus nondum discussam, an scil. pater donum baptismale a compatrinis oblatum recusare pro lubitu possit, vel potius si id fecerit, liberis teneatur ad interesse? Pro posteriori sententia facere videtur, quod patria potestas eo vsque se non extendat, vt pater bona filii aduentitia administrans perdere ea et donare possit, filio potius hoc modo alienata reuocare integrum est non obstante vlla praescriptione, nisi tricennali, a tempore solutae Patriae Potestatis computanda. *L. 1. et Auth. nisi*

B *tricenn.*

tricenn. C. de Bon. Matern. L. 1. C. de annal. praescript. *de* WERNH. *Sel. Obseru. Forens. Lib. III. Obseru. 35. no. 1. 2.* ita vt non tantum de bonis iam tum adquisitis nihil dimittere possit, sed ne lucro quidem sperato nondumque percepto renuntiare valeat. ID. *P. IV. Obseru. 32.* aut conditionem liberorum facto suo reddere deteriorem, *L. 7. C. de Iure Dot.* Cum in potestate parentum non sit iura sua liberis auferre, vel imminuere. *L. fin. C. de Bon. quae lib.* MEV. *P. V. Dec. 67. n. 12.* BALD. *ad L. fin. C. vnde Lib.* Sed distinguendum hic esse censeo inter lucrum certum seu radicatum, v. c. si feudum obueniat, aut haereditas sit delata, id quod pater vtique in praeiudicium liberorum recusare non potest, et inter lucrum quod ex libera voluntate offertur, et ad quod petendum nullum ius liberis, nulla ad dandum obligatio offerentis. De casu priori saltim accipiendae sunt memoratae leges, posteriori e contra filio ius non esse factum patris impugnare, sed huic integrum potius donum filio oblatum quocumque modo repudiare nullus dubito, idque non tantum eo casu, si filius postmodum haeres patris existit, et donum, quod a patrinis oblatum pater recusauerat, a cohaeredibus tamquam debitum paternum petit, verum etiam si pater in viuis adhuc, aut mortuus quidem, sed obaeratus et filius ab eius haereditate abstineat. Potissimum cum in incerto plerumque sit quantitas illius muneris et lucri a patre repudiati, aut quantum oblaturi fuissent patrini, si pater munera non recusasset, integrum enim erat susceptoribus velint aliquid donare an non, multum offerre an parum. Cum igitur lucrum interceptum incertae aestimationis sit, illud a patre liberos petere non posse,

vtique

vtique existimo, erat etenim in potestate patris homines egenos et omnino mendicos patrinos denominare, qui nihil omnino offerre poterant, nec tamen propterea ius competebat liberis eum conueniendi quod non optauerit opulentiores, quamobrem et integrum ipsi erit, diuites quidem eligere, sed cum protestatione, ne offerant consueta alias munuscula. Obueniebat eiusmodi casus ante aliquot annos Facultati Iuridicae Lipsiensi in causa coram Concilio Academiae nostrae ventilata. Nimirum mortua vxore D. I. S. T. relicto marito et filio vnico, viduus ad secunda vota transierat, filio igitur dabatur tutor, qui cum patre liquidum constitueret, ratione bonorum maternorum, ceterorumque aduentitiorum. Hic inter alia quoque desiderabat munera baptismalia, quae pater pro more nostrorum temporum acceptare renuerat, atque vt propter hoc lucrum facto patris amissum filio satisfieret, vrgebat, actis igitur ad sopiendam litem transmissis Mense Martio 1740. Ordo noster sequentem in modum pronuntiauit: **Daß zwar D. J. S. T. dem mit seinem erstern Eheweibe erzeugten Sohne das Pathengeld, wenn dergleichen vorhanden, zu überlaßen pflichtig, daferne er aber keines angenommen hätte, an statt deßelben etwas gewißes davor auszumachen, nicht verbunden. V. R. W.** Ceterum an liberis ratione pecuniae lustricae in bonis parentum competat tacita hypotheca, de quo vid. B. BOEHMER *in Iur. Eccles. Protest. L. III. T. 42. §. 47.* THOMAS. *diss. de hypothec. tac. propter pecun. lustric. §. 6.* HARPRECHT *in Scrutin. XVIII. hypothec. tacit. dub. §. 14.* DE LEYSER *Spec. CLXVI. Medit. 2. 3.* LAVTERB. *ad Tit. Dig. in*

 quibus

quibus cauſ. pign. vel hypothec. tacit. n. 57. et diſſert. de Tacito pignore th. 39. Concluſ. Forenſ. Exercit. 27. §. 16. Colleg. Pandect. ad tit. de Peculio. §. 32. TITIVS *in Iure Priuat. Lib. III. Tit. 17. §. 4.* hanc controuerſiam cum ſimilibus aliis, quae circa praeſentem materiam a Doctoribus moueri ſolent in praeſentiarum praetermitto, et redeo potius e diuerticulo in quod *L. 13. C. Quod cum eo qui in alien. pot. eſt, neg. geſt. eſſe dicetur.* quam lectione curſoria interpretaturus eſt Praeclariſſimus Dominus Candidatus noſter me abduxerat. Nimirum finitis his praelectionibus demum die proximo Iouis horis conſuetis in eodem acroaterio diſſertationem *de Praeſcriptione centum annorum in actionibus Eccleſiae Romanae de iure Ciuili,* Dominus M. BACHIVS ſine praeſide tuebitur. Quibus laboribus ſuperatis Vir Excellentiſſimus et Conſultisſimus Dominus D. Dietricus Gotthardus Eckard, Facultatis Iuridicae Aſſeſſor, collega noſter honoratiſſimus, cui promotoris partes a me ad hunc actum conſtituto Procancellario delegatae ſunt, iura, priuilegia et praerogatiuas quae Doctoribus noſtris competunt, excepto tamen ſuffragio et ſeſſione in Facultate noſtra, publice die eod. hora XI. conferet. Huic igitur actui, vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, Comites Illuſtriſſimi, vtriuſque Reipublicae proceres, praeſentia ſua ſplendorem afferre, nec non Generoſiſſimi et Nobiliſſimi iurisprudentiae cultores, vt et reliqui Academiae noſtrae hoſpites frequentes intereſſe non dedignentur, perofficioſe ac decenter rogo. Publicatum die Dominic. XVII. p. Trin. An. CIↃ IↃCC L.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.